

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2879

**Auteur(s) :** Arnoul, Lisieux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1147

**Lieu d'émission :** Neubourg

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Arnoul, évêque de Lisieux, déclare faire donation à l'Abbé et aux Religieux de l'abbaye du Bec de l'église de Saint-Ymer, avec ses prébendes et ses revenus pour y substituer des moines à la place des chanoines.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bréard Charles, *Cartulaires de Saint-Ymer en Auge et Bricquebec, publiés avec notices*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard, 1908, n° III, p. 5-6.

Texte établi d'après a

Arnulfus, Dei gratiæ Lexoviensis episcopus, Fulconi decano, totique capitulo Lexoviensi omnibusque fidelibus per Lexoviensem episcopatum constitutis salutem, et Dei benedictionem. Notum esse volumus, tam præsentibus quam futuris, quod ego Arnulphus, Deo permittente Lexoviensis episcopus, donavi ecclesiam Sancti-Ymerii cum præbendis et omnibus pertinentiis earum venerabili Letardo, abbati Beccensi, fratribusque ibidem sub monastica professione degentibus, ut scilicet inibi pro canonicis monachi substituantur, atque in ordine monastico quem etiam ibi ante constitutionem canoniconum accepimus extitisse, ibidem in perpetuum Domino serviatur. Ad hoc enim sumnum studium nos convenit adhibere ut Religionem non solum in locis in quibus fuerat, sed etiam in quibus nondum extitit, totæ diligentia reformemus. Quam etiam donationem nostram Hugo de Montforti et Robertus, filius ejus, et Adelina uxor ejus, magno desiderio quantum eorum intererat concessere, nosque ad id faciendum magnis studuerunt precibus inclinare. Sed quia Lexoviensem ecclesiam ab omni detimento studiosius nos convenit observare, præbendam nostram quæ in eadem parochia est, integrum nobis in perpetuum cum omni jure et pertinentiis suis manere censemus ; salva nimirum nobis et omnibus successoribus nostris integre in omnibus episcopali justitia et reverentia, et presbytero qui curam plebis habiturus est parochiali jure, scilicet tertia decimationem parte in universis oblationibus, ceterisque beneficiis ad id pertinentibus. Ne vero hoc quod a nobis tam pie actum est ulla possit in posterum oblivione, vel malignitate convelli, litteris mandari, sigillique nostri fecimus impressione signari. Actum apud Novum-Burgum, anno ab Incarnatione Domini M. C. XLVII. Presentibus : Rotrodo, Ebroïenci episcopo. Et ecclesiæ nostræ filiis : Johanne, archidiacono ; Normanno, archidiacono ; Sylvestro, thesaurario ; Roberto de Sancta Honorina, capicerio ; Roberto de Novo-Burgo ; Gisleberto de Bisgat ; Rodulfo, rustico ; Willelmo, portario ; Bernardo de Sartrino ; Willelmo, filio Odonis, laïcis. Et Guarino, Rodulfo, de Flori, Turgiso, canonicis Lexoviensibus.